

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Vincentii Chartarii imagines deorum ... qui ab antiquis conlebantur**

**Cartari, Vincenzo**

**Moguntiae, 1687**

De Æternitatis Imaginibus

[urn:nbn:de:bsz:31-341151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-341151)

rò, quales erant cœlestes Dii, ex digniori fabrefacerent. Neque omnes humanam semper formam referebant, sed sæpe ad diversorum animalium speciem fuerunt eff. cti, interdumque partim hominis, partim belluæ similitudinem gerebant. Quare, sicuti Seneca scribit, ita D. Augustino referente si vivi illa fuissent forma præditi, quam eorum simulacra præ se ferebant non ut numina colerentur, sed veluti monstra ab omnibus fugerentur. Sed apud Ægyptios, si usquam, huiusmodi ita deformia ac monstruosa simulacra maxime visebantur, ut in plurimis imaginibus, à me describendis, cernere erit: quod quidem nunc aggrediar, initio ab Æternitate sumpto.

## DE ÆTERNITATIS IMAGINIBUS.

**Q**UAMQUAM non omnes apud veteres Dii aeterni, immortalesque habebantur; digniores certe sempiterno ævo frui putabantur: Quare ea fuit illorum temporum opinio, ut eos semper Æternitas comitaretur: Licet Ioannes Boccatius in libro de genealogia Deorum, eam Demogoni soli comitem traditam asserat, quem si vult ille, omnium Deorum primum, in media terra degentem, pallidum, crassissima nebula circumdatum, situ obductum. Sed tamen apud veteres mirum de suo silentium, forte eum Demiurgum appellemus. Quare libere pronuntiarim, Æternitatem semper versari creditam cum iis numinibus, quæ immortalia putabantur. Hanc qualisqualis esset, vel nomen ipsum optime declarat, quod omnes ætates, atque sæcula in se continens significare videtur, ita ut sub nullius temporis mensuram cadat licet quodam possit modo dici, sed non ita proprie, eam tempus esse, quod omni fine careat. Quamobrem Hennes Trifinegillus, Pythagorici, atque Plato, tempus Æternitatis imaginem esse voluerunt: hoc enim in se ipsum in orbem torquetur, ejusque nullus unquam finis exstat. At hæc Perpetuitas potius est dicenda: nam quamvis ea nullo fine terminetur, non totam tamen simul infinitam illam vitam perfecte possidet, qualem Æternitas: Boetius enim inquit, non rectè quosdam facere, qui cum audiunt Platoni visum, mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coeternum putant: namque si propriis uti velint vocabulis hæc Platoni sententia admittitur, Deum solum, æternum, mundum vero perpetuum appellare possunt. Æternitatem autem idem Boetius describit, esse vitæ immobilis præsentaneum statum; qui quidem Dei unius est proprius, cui neque futuri quidquam abest, neque præteriti fluit, quemadmodum cunctis rebus conditis usu venit; licet earum quædam numquam sint finem habituræ. Sed nos sinamus nunc ita minute rem scrutari, quemadmodum & veteres fortasse fecerunt, cum suos Deos aeternos esse dicebant, quo immortales illos interminatosque, Æternitatemque ideam esse atque temporis illam infinitatem

*ἰταίοντος  
in cuius opificia  
publi. d  
prostant.*

*Perpetuitas.*

*Æternitatis  
definitio.*

tatem, intelligi voluerunt. Quare Claudianus, qui eam in Panegyri, in laudes Stiliconis describit, serpentem inducit, quod antrum, ubi illa degit, complectatur, caudamque mordicus teneat: quod quidem temporis est symbolum, ab Aegyptiis mutuatum, cum annum volunt induere qui semper in seipsum recurrit, ita ut praeteriti finis sit futuri initium. Aternitatis autem imago ita in quodam Faustinae numino adumbratur. Matriona quaedam stat, pilam dextera manu tenens, amiculo perquam lato capite, humerorum tenus amicta. Sed fatius fuerit, ad ejus imaginis descriptionem Claudiani carmina adscribere, quae sic habent,

Amiimago.

Est ignota procul, nostraque impervia menti;  
 Vix adeunda Deis, annorum squalida mater,  
 Immensi spelunca avi, qua tempora vasto  
 Suppeditat, revocatque sinu: complectitur antrum  
 Omnia qui placido consumit numine serpens,  
 Perpetuumque vires squamis, caudamque reducto,  
 Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.  
 Vestibuli custos vilitis longava decoro  
 Ante fores Natura sedet, cunctisque volantes  
 Dependunt membris anima: mansura verendus  
 Scribit jura senex, numeros qui dividit astris,  
 Et cursus, stabileque moras, quibus omnia vivunt,  
 Ac pereunt, fixis cum legibus ille recenset,  
 Incertum quid Martis iter, certumque ednantis  
 Proficiat mundo; quid velox semita Luna,  
 Pigraque Saturni, quantum Cytherea sereno  
 Curriculo, Phaeique comes Cyllenius erret.  
 Illius ut Phaeus ad limen constitit antri,  
 Occurrit Natura potens, seniorque superbis  
 Canicem inclinat radius: tunc sponte reclusos  
 Laxavit postes adamas, penetrare profundum  
 Panditur, & sedes, aequique arcana patescunt.  
 Hic habitant vario facies distincta metallo  
 Saecula certa locis, illic glomerantur abena:  
 Hic ferrata rigent, illic argentea cadent  
 Eximia regione domus, contingere terris  
 Difficilis, stabat rutili grex aureus anni.

Hanc eruditam Aternitatis descriptionem ita Buccatius explicat; ut Poëta ostendat, Aternitatem infinito intervallo universa tempora excedere, dicit ejus speluncam (quod idem est, ac fecundissimum ipsius sinum, omnia suo ambitu in se coercere item) omnibus incognitam, imperviam, atque à mortaliu conspectu remotissimam, immo & vix Düs adeundam, qui sunt

ill.

lli caelestes animi, ab omni materiae contagio sejuncti: eandem dicit, tempora suppeditantem, atque rursus in se revocantem? cum illa inde profecta ac perenni quodam orbe circumducta, eodem revolvantur, ut iterum in idem fluant: idque tacite ac latenter fit, eo quod nobis ne cogitantibus quidem sensum atas labitur. Naturam assidue plurimam circumvolant animam; quoniam ea cunctis animantibus vitam subministrat, haec corporeis postea vinculis soluta, in Aeternitatis se gremium abdunt: quod naturae opera sit, quae vitam universis elargitur, eandemque certis spatiis circumscriptam aufert: ideoque ante fores Aeternitatis statuitur. Senex, qui in antro numeros dividit altris, non absurde pro Deo ponitur, non quod sit revera senex (nulla enim in res aeternas aetatis differentia cadit) verum quia nos longaevo senes nostra loquendi consuetudine dicere soleamus. Sed, mea quidem sententia, senex ille fatum nobis repraesentat, quod fasces Phœbo submittit, cum se ad antri ostium fistit, quem pro Deo intelligimus licet. De sacculis, quid significant, cum eorum explicatio omnibus sit perspecta, nihil Buccatius dicit? & nos dicere omitteremus, ad Saturni imaginem transituri, quem pro tempore veteres posuerunt, de quo superius, cum de Aeternitate loqueremur, dicere coepimus. Haecenus vero sit de Aeternitate dictum, quam meis his elucubrationibus in mentem numquam venit optare; cupio quidem certe, ut qui elargiri potest, is vitam aliquam aliquamdiu benigne sufficiat.

*Authoris  
sententia &  
iudicium*

## DE SATURNO.

*Imago 1. a.*

**P**rimus ab aethero venit Saturnus Olympo,  
Arma Jovis fugiens, & regnis exsul adeptus.  
Is genus indocile, ac dispersum montibus altis.  
Composuit, legesque dedit, latumque vocari  
Maluit, his quoniam latuisset tuus in oris;  
Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuere  
Saecula: sic placida populos in pace regebat.

Ita Virgilius de Saturno loquitur fabulam historiae permiscens; nam, si rei veritatem indagare velimus, comperiemus, Saturnum a Jove filio, in Graecia, ubi regnabat, pulsus, in Italiam apulisse; sed Poetae pro more suo fictionibus rem ipsam adumbrarunt. Sunt enim fabulati, Saturnum e caelo in terras a filio deturbatum; Graecia enim cum ad orientem vergat, Italia est altior, quae ad occidentem est sita. Iluc ergo Saturnus casu delatus, ad Janum se contulit, qui id temporis ibi regnabat; ubi postea Roma est condita, vitamque more prisco rudem una cum suo populo degebat, eum & benignissime hospitio excepit, & in regni quoque partem adscivit, cum & agrorum colendorum rationem, & modum cereae pecuniae cudendae ostendisset, nam antea in corio excudebant: Quare in altera numi parte

*navis,*